

c) eine differenzierte politische Position. Danach wäre keines der politischen Programme vom Autor in seiner Gesamtheit gebilligt worden. Eine Persönlichkeit seiner Urteilskraft hätte selbst ein eigenes Programm entworfen.

Am einfachsten ist allerdings die Annahme, daß die beiden ‚neutralen‘ Passagen zum karolingischen Dynastiewechsel außerhalb jedes polemischen Kontexts schon vorher abgefaßt und unverändert in die Chronik übernommen worden sind, ohne daß eine Harmonisierung mit der politisch-religiös gefärbten Passage deren Autor sich durchaus nicht als politisch neutral, sondern als gregorianisch offenbart, versucht worden wäre.

Anhang

Frutolf von Michelsberg, Chronicon Universale, 751–754, ed. F. Waitz, MGH SS 6 (1844) S. 159–160:

- 1 A.D. 751. Sanctus Burchardus accepit pontificatum Wirzburgensem, in quo sedit annos 40. Hic itaque sanctus Burchardus et Folradus archicapellanus, quem quidam abbatem, quidam presbiterum scribunt, ad Zachariam Romanum pontificem missi sunt, ut consulerent eum super regibus qui tempore illo fuerunt in Francia,
- 5 nomen tantum regis sed nullam potestatem regiam habentes. Solebant enim Franci ex antiqua regum stirpe reges habere, qui a Meroveo, Clodii secundi regis eorum filio, Merovingi dicebantur; quorum genealogia usque ad Hildericum tunc temporis regem permanebat, in quo etiam deficiebat; sed licet in illo finita posset videri, iam dudum tamen nullius vigoris erat, nec quicquam darum in se preter inane regis vocabulum referebat. Nam et opes et potentia regni penes palatii prefectos, qui maiores domus dicebantur et ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur; nec aliud quicquam regi permittebatur, quam ut regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba summissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos undecumque venientes audiret, eisque abeuntibus responsa, quae doctus erat
- 15 aut iussus, ex sua velut potestate redderet, cum preter inutile regis nomen et precarium vitae stipendium, quod ei prefectus aulae, prout videbatur, exhibebat, nichil aliud possideret; quanquam unam et eam perparvam redditus villam, in qua domum et ex qua famulos necessaria sibi ministrantes atque obsequium exhibentes paucae numerositatis haberet. Quocumque eundum erat, carpento ibat, quod iunctis bubus et bubulco more rustico agente trahebatur. Sic ad palatium, sic ad publicum conventum, qui Kalend. Maii ob regni utilitatem annuatim celebrabatur, ire solebat, et coram tota gente presidens omneque salutans, et ab eis salutatus debitisque obsequiis honoratus, sic domum rediebat, sicque secum usque ad alium Maium domi residebat. At regni amministrationem et omnia, quae vel domi vel foris
- 25 agenda erant ac disponenda, prefectus aulae procurabat. Quo officio tunc, cum predicti legati Romam mittebantur, Pippinus, Karoli filius itemque Karoli Magni pater, iam velut hereditario iure fungebatur. Zacharias vero papa super huiusmodi negotio consultus, remandavit, melius esse illum vocari regem, apud quem summa potestatis consisteret; dataque auctoritate sua, Pippinum regem constitui iussit.
- 30 A.D. 752. Pippinus per auctoritatem Zachariae papae more Francorum electus ad regnum, per manus sancti Bonifacii archiepiscopi Mogonciacensis elevatus est in regni solium in Suessionum civitate. – Translatio sancti Kyliani facta est. – Beatus